



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

n. 39.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1635.

XXXVIII. Thomas Forcer septuagenario maior constantiam in fide non quidem sanguine luit, ab immani tamen & barbara vexatione vix viuis euasit ad carcerem. Samuel quidam Ionlonus, inter illius regionis quadruplatores præcipuus, potestate accepta à Deccano Dunelmèsi, & cæteris qui rerum Ecclesiasticarum tractationem usurpabant, domum cum turba sodalium obledit à vigilia Pentecostes ad tertiam feriam, multa in adiacentibus hortis agrisque in violentiæ vestigia relinquens; Tum insiliens cum suis in ades quæcunque obuia perumpit, parietes, caminos, tabulata; senem in angulum præ metu abditum vt reperit, exerto petit gladio; filiam in parentis auxilium interuenientem deiecit, & inhumanè proculcat; Tum iterum ad senem, quem (nisi ex astantibus vnus intercurrisset) creditur fuisse obruncaturus. Priuigium etiam vxor accurrens pugione in pectus adacto repellitur, dura & densa circa præcordia vestis ictum sustinuit ne grauius vulneraretur. Senex tot interstrictos enses propè exanimis ad lectum defertur, neque tamen conceditur vt redimat vexationem. Honesto loco nati viri aliquot se offerunt vt promittant vadimonium, non admittuntur. Postero die magna stipante satellitum cateruâ Dunelimum aueritur ad custodiam. Hæc anno huius sæculi vigesimo acta sunt regnante Iacobo, quem licet ingenium non valde ducebat ad rigorem religionis causâ exerendum, liberum tamen cuique cum esset legibus vt quantumcunque & quodocunque vellet ad lacescendos Catholicos, qualibet captatâ, aut fictione simulata occasione, qui Regi deerat animus ad vexandû, alijs superabat; suspicabatur hi fortasse perantiquum hunc à prima ætate Catholicum, in tanta solemnitate quâ tam sciebant esse apud nos Pentecostes festum diem, non cariturum Sacerdote ad celebritatem. Si repertus fuisset aliquis optatâ potiti fuissent prædâ; præda tamen quoniam carere nolebant, auerunt ad vincula innocentem, vt se deinde pecuniâ redimat; perinde enim est vnde extorqueant, modo ipsis colligatur. Quotidiana sunt ista; & commemorandorum exemplorum non esset finis si singula recenserentur; Indignum tamen non est memoria quod pauperi cuidam accidit antiquæ fidei in comitatu Lecestrensi, Antonio Squire; Is ad Tribunal & ad Iudices ductus, & accusatus quod à Protestantium ritibus ad Catholicos transisset, variè tentatus est; tandem de iureiurando (quod vocant fidelitatis) interrogatus an illud vellet conceptis verbis iurare, cum recusaret, pecuniola quam habebat spoliatus carceri addicitur, multoq; ferro oneratur; quod cum nec prece, nec pretio redimere posset, post duos tresue menses hyberno asperoq; tempore toleratos, per carceris incommoda, & vulnus à cane inflictum in febrim incidit, venitque ad extrema: Habenti prope in faucibus animam, importunè suadent Ministri vt Catholicam deserat, suam sectam amplectatur; Neganti; vt saltem Papæ maledicat: "Ego vero, inquit, ex quo sum Catholicus didici nemini maledicere, cum antea illa mihi esset perpetua consuetudo." Itaque summa constantiâ & patientiâ moritur, neque tamen nisi post octo horas a vinculis solutus: Corpus infami in biuio iuxta



1635.

particidam mulierem humatum est. Ita per vnus cuiuslibet hominis matritiam luditur in vita & bonis Catholicorum; si vero quispiam sit inter Iudices moderatior non audet clemens videri ne audiat Papista.

Catholici  
latere non  
possunt.

XXX X. Neque latere Catholicis facile est; præterquã enim quod si ritus Protestanticos non frequentant, eo ipso habentur Catholici, genus est quoddam quadruplatorum, seu Syndicorum qui singula perscrutantur: Horum alij vniuscuiusque bona mobilia, immobilia, quæ & quanta sint inquirunt, & ad Fiscum referunt. Alij numerant delicta, vt si cuius infans non est publicè Protestantium ritu Baptizatus, si quis priuatim duxerit vxorem aut si mulier nupserit; si statis diebus non audiantur preces aut concio; si suspicio sit de sacerdote occultè introducto, & sexcenta alia, quæ cum multam pecuniariam habeant annexam, aut prædã, huic inhiantes nemini facillè parcunt, nisi quis forte multo auro redemerit vexationem.

Neque parcitur censuris, quod erat aliud & acre omnino genus persecutionis. Etenim vt Hierarchiam quãdam imitati sunt nostri Anglicani Hæretici, (vt Episcoporum, Decanorum, Archidiaconorum, Canonicorum, seu Præbendariorum,) ita Ecclesiasticas etiam causas habebant, iudiciãque distincta à cæteris, in quibus per multas agerent contra reos & per Censuras.

Hinc Anno in quem deducta est hæc Historia seculi trigesimo quinto, in Comitatu Norfolkienfi allatum est aduersus colonũ Catholicum rescriptum de Excommunicato capiẽdo, eo quod vicinum quendam suum Catholicum sepeliendum curauerat ritu Catholico; In Cantabrigienfi, pauperula cum peperisset, tam obstetrix licet hæretica quam reliquæ quæ aliterant, pecuniã redimere coactæ sunt excommunicationem, quod cum excommunicata commuticassent. Ad molitorem in eadem regione Catholicum prohibebantur singulis annis vicini, vt nè triticum deferrent commolendum, aut farinam ab illo emerent; ea molestia vt se liberaret soluit quotannis octo florenos. Alius vt vxorem redimeret à Censura, florenis octoginta liceri coactus est; alter centum, alter opulentior annuis viginti quinque; vt censuras effugeret.

XXXXI.

Constantia  
& spes Ca-  
tholicorũ.

His tamen à tot retro annis vexati malis Catholici non despondent animo, neque spem abijciunt futurum aliquãdo vt misericors deus pristinam pietatem, cultumque verum reuehat in Angliam. Cum enim ab initio collabantis Religionis seminaria provide- rit Sacerdotum, qui vi tormentorum necisque formidine superata non cessarent rectam fidem prædicando orandoque fouere; vnum etiam Audomari in quo Iuuentus ad omnem quem fors tulerit gradum vitæ, virtutum præceptis & humaniorum literarum præsidio imbueretur; variorum quoque Religiosorum hominum sacra Collegia, vt sanctorum Benedicti, Dominici, Francisci, & societatis Iesu, & infirmioris sexus refugia compluria, per Belgium, per Germaniam, per Gallias, per Italiam, Hispaniamque;